



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 133. Julius de Ruvere Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Ceterum hic Cardinalis præclaris admodum animi dotibus inclarescebat, præcipue vero summa in pauperes liberalitate, moderatione, ac sani consilii promptitudine eminebat, nil magis, quam altercationem exosus, sique in tanto Viro quicquam crimini dari potest, forte ob nimium erga Carolum V. Cæsarem affectum, quo eidem cæco veluti impetu omni data occasione inservire studebat, reprehendi valeret.

§. CXXXIII.

Julius de Ruere Cardinalis mortuus.

Denique tertius erat Julius de Ruere Francisci Mariæ Ruerei celeberrimi suo ævo Belliducis Filius, die quinta Aprilis anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto natus, ac postremus filius Matris suæ Honoratæ Hyppolitæ Gonzagæ, quæ Francisci Mantuæ Ducis Filia erat. Is a Guidobaldo Fratrem primogenito, vita jam functo Patre, adolescens pie educatus, & literis imbutus est, atque in ejusdem Guidobaldi gratiam a Paulo III. anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, cum esset annorum duodecim, atque absens, Diaconus Cardinalis nominabatur, reservatus tamen in pectore, & non nisi die nona Januarii anno millesimo quingentesimo quadragesimo

Sæcul. XVI.
A.C. 1578.

Ciacon. p.
730.
Aubery l. c.

Sæcul. XVI. octavo in Patrum Senatu promulgatus,
A.C. 1578. Postea sub Paulo III. Julio III, & Pio
 IV. Umbriæ, & Perusiæ Legationibus
 honoratus anno post Christum natum
 millesimo quingentesimo sexagesimo a
 Pio IV. ad Vincentinum Episcopatum
 nominabatur, quem tamen ultro Mat-
 thæo Priulo cesserat, a Pio V, Archie-
 piscopus Ravennatensis declaratus, ubi
 usum convocandi Concilia Provincialia
 ducentorum quinquaginta annorum spa-
 tio in ea Ecclesia intermissum revoca-
 vit, ac Clericorum abusus reformavit,
 urbisque ædificia, palatium præsertim
 Archiepiscopale restauravit: insuper
 mores populorum pia castigatione cor-
 rexerit, ac plurima obsequia suæ Diœcesi
 præstitit, præcipue in subsidium paupe-
 rum, pro quibus duo Xenodochia ex-
 strui curavit, unum pro Viris, alterum
 vero pro mulieribus. Denique ad Sa-
 binensem, & Prænestinam Ecclesiam
 vocatus apud Forosempronienfes feria
 quinta die quinta Septembris anno Chri-
 sti millesimo quingentesimo septuage-
 simo octavo, ætatis suæ nonnisi quadra-
 gesimo tertio obiit, ac corpus ejus Ur-
 binum translatum in Sanctæ Claræ æ-
 dibus terræ mandatum est. Ceterum
 Julius opes suas summa liberalitate in
 Templum Lauretanum effudit, atque
 interfuit quoque sacris comitiis, in qui-
 bus

bus Julius III. Marcellus II. Paulus IV. Sæc. XVI.
 Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. Ro-
 mani Pontifices eligebantur. Scripsit
 etiam quasdam Constitutiones, quæ
 in bonum Provinciæ Perusinæ, cujus
 Legatus erat, typis editæ fuerunt.

A.C. 1578.

§. CXXXIV.

Laurentii Surii Cartusiani fata.

Hoc item anno Laurentius SURIUS
 mortalitatem exiit, qui Lubecæ
 anno Domini millesimo quingentesimo
 vigesimo secundo natus Colonix studiis
 vacabat, arcto amicitix fœdere junctus
 Landspergio Chartusiano, cujus hor-
 tatus & ipse SURIUS idem sacrum Insti-
 tutum Colonix amplexabatur, & vi-
 gesimo primo ætatis suæ anno sese so-
 lemni sponsione Deo totum dicabat, ac
 præprimis Thauleri operibus, aliorum-
 que Auctorum libris latine reddendis
 operam navans, postea in unum volu-
 men plurium Ecclesiæ Doctorum ho-
 milias colligebat: præcipue vero ingens
 sibi nomen comparabat, dum collegit
 Concilia in quatuor voluminibus in for-
 ma majori Colonix anno millesimo quin-
 gentesimo sexagesimo septimo typis e-
 dita: insuper in literariæ Reipublicæ
 utilitatem Sanctorum vitas sex tomis
 comprehensas conscripsit, quæ ibidem
 Coloniensibus literis anno millesimo
 Hh 4 quin-